



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Conciliabvlvm Antiochenvm, Quo ab Arianis Meletius episcopus
Antiochenus sede deponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

sentientemque toti Concilio sententiam pronuntiarent. Itaque expectauimus diu, si forte nos audire, si intelligere, si denique cedere vellent.

Datum tē-
pus respi-
cendi.

Verum vbi longo tēpore expectando, nullo modo eos ad nostris de Aetio sententiis obsequendum inducere poteramus; Canonem ecclesiæ eorum amicitia anteponendum arbitrati, eos a communione ecclesiæ excludendos decernimus: dato illis ad sententiam mutandam, ad respiscendum, & ad alacri animo cum Concilio concordandum, consentiendumque, sex integrorum mensium spatium. Quod si intra præstitutum diem, mutato consilio, amplecterentur cum patribus concordiam, & decretis ab illis de Aetio sententiis assentirentur; tum non solum vt reciperentur in ecclesiam, verum etiam vt suam in Concilio loquendi libertatem, & mutuam nobiscum caritatem recuperarent, statuimus. Sin autem in proposito susceptoque consilio per hominum facilitatem pertinaciter manerent, & Canones ecclesiasticos contemnerent, episcopatus dignitate dimouendos esse. Quod si depositionem expectauerint, alios in eorum loca episcopos substituendos; vti sacrosancta ecclesia, ad ordinem sibi conuenientem redacta, secum ipsa consentiat, vinculo caritatis ab omnibus omnium gentium episcopis eadem dicendo, eademque mente & sententia in vnum cohærescendo, firme conseruato. Quare ista ad tuam reuerentiam scripsimus, vt intelligas decreta Concilii, quæ te obseruantem optamus, per gratiam Christi tuas ecclesias tranquille legitimeque moderari.

CONCILIABVLVM
ANTIOCHENVM,

Quo ab Arianis Meletius episcopus Antiochenus sede deponitur.

Locus &
causa Con-
ciliabuli.

[*Conciliabulum Antiochenum.*] Hoc Conciliabulum habitum est Antiochiæ anno Constantii, vt testatur in chronic. Hieronymus, 24. qui est Christi 360. Causa habiti Concilii ista fuit primaria, vt Acaciani & Ariani declararent Meletium Antiochenum episcopum sede sua iuste deiectum, eique Euzoium suæ factionis sectarium impurissimum, æquissimo iudicio substitutum esse. Cum enim Me-

ANNO
CHRISTI
360.

letius, teste Sozom. lib. 4. cap. 27. ab Eudoxianis & Acacianis post aliorum Semiarianorum depositionem in sedem Antiochenam introductus, præter spem & opinionem eorum, Dei nutu ac singulari providentia Nicæni Concilii fidem publice tanto zelo & orthodoxæ religionis ardore prædicaret, vt dum ipsius concionantis os archidiaconus manu obstrueret, digitos ille primo tres, deinde vnum proferens, Trinitatem in vnitatem, & vnitatem in Trinitate doceret; iussusque ab imperatore recantare palinodiam, recusaret; eiusdem Constantii imperatoris mandato depositus, in exilium contra pacta assecurationis data, & apud Eusebium Samosatenum velut sequestrum deposita, eiectus fuit. Ariani itaque metuentes ne decreti illius conscripti testimonio coarguerentur, persuadent Constantio, vt per nuntium ab Eusebio decretum reddat. Ad quod faciendum cum ille neque verbis, neque minis ab imperatore induci potuisset, respondissetque se commune decretum communi consensu acceptum nunquam redditurum, nisi omnes, qui suæ fidei illud commiserunt, in vnum conuenirent. Hac itaque occasione Acaciani Antiochiæ conuenientes, approbata Meletii iniusta depositione ac relegatione, nouam rursus fidem, eamque omnium deterrimam, Constantio & Acacio auctoribus condiderunt, qua Filium Patri substantia & voluntate dissimilem, atque ex nihilo ortum esse statuerunt, sicut Ario ab initio placuerat. *Acaciani vero (inquit Sozom. lib. 4. cap. 28.) adhuc quiescere non poterant; sed Antiochia rursus in vnum cum paucis quibusdam congregati, decreta qua ipsi sancierant, simulabant, statuebantque nomen, Simile, ex formula Arimini & Constantinopoli perlecta, eximendum esse: & Filium Patri tum substantia, tum voluntate dissimilem esse, & ex nihilo ortum, sicut Ario iam ab initio placuerat, docebant. Quibus fuere subsidio sectatores Aetii, qui primus post Arium his nominibus palam ausus est vri. Vnde factum est, vt tum ipse à Deo, id est, auersus a Deo, tum eius doctrine approbatores Anomiani & Exucontii, id est, Filium Patri dissimilem, & ex nihilo ortum statuentes appellarentur.* Hæc Sozom. Hic tandem finis magnæ tragœdiæ, ab Arianis post Nicænum Concilium per triginta & amplius annorum spatia confectæ: cuius tot fuerunt actus, quot celebrata Concilia. Quorum vltimo funestum illud, quod primum in eorum animis infedit, Dei Filium (proh scelus) substantia & voluntate Patri esse dissimilem, infeliciter conclusum est. Nam eo tempore, quo Constantius Filio Dei diuinitatem ademit, non sine prodigio eidem imperium abripitur; cum in Gallis Iulianus a militibus alias acclamatus imperator eligitur, & quantumlibet inuitus imperare cogitur. Anno enim sequenti procul omni dubio Constantius cum orientali imperio vita exutus fuisset, nisi eum mors citior confecisset. Hæc ex Theodoret. Epiph. Sozom. & Ammiano. Baron. anno 360. num. 45. & seqq.

Meletius præter spem
Arianorum
Nicæni fide-
dem publi-
ce prædi-
cat.

Meletius
contra pa-
ctum in exi-
lium rele-
gatur.

Constantio,
quo tempo-
re is diuini-
tatem Chri-
sto admit-
imperium
abripitur.